



13425.

1734, 6. 45.

QVATENVS VXOR MARITVM RELEGATVM

SEQVI TENEATVR?

DISQVIRIT

E T

GENEROSIS AC NOBILISSIMIS

IVRIVM CVLTORIBVS

COLLEGIA SVA

PER SEMESTRE HYEMALE HABENDA

INDICIT

ABRAHAM KAESTNER

IVRIVM DOCTOR ET PRACTICVS.

LIPSIAE,

LITTERIS GABRIELIS TROGIL.

§. I.



Anciuit D. AVGVSTVS P. IV. C. El. 19.
de simplici adulterio hunc in modum:
Wenn der Ehegatten einer, als der Mann vor
das ehebrecherische Weib, oder das Weib vor
den ehebrecherischen Mann, selbst bitten, und
sich erblicken würden, demselben ungeachtet ge-
brochener Treue und Glaubens, länger ehelich
beyzuwohnen, daß alsdenn dem Ehestande zu

Ehren, die Strafe etwas gemildert werde, der schuldige Theil des Lan-
des ewig verwiesen, und der Unschuldige aus unfern Landen seinem Ehe-
gatten folgen, darinnen ferner nicht wohnen, oder sich wesentlich aufent-
halten soll.

Idem etiam constitutum in Kirchen-Ordnung Tit. von Ehe-Sa-
chen, cap. von der Strafe der Unzucht und des Ehebruchs, in C. I. S. d.
A. 72. p. 276. conf. Dec. El. 82.

§. II. Adpariet autem ex dictis textibus manifeste, si v.g.
vxor pro adultero marito intercedat illique delictum condonare
ac vtlerius cohabitare velit, poenam adulterii ordinariam remit-
tendam esse; Non vero ab omni prorsus poena immunis esse de-
bet adulter, cum Reipublicae intersit, ne delicta maneat im-
punita, v. l. 51. ad Leg. Aquil. mitior tamen et talis infligenda
poena, quae neque facultatem coniugem recipiendi dimit, neque
nimiam matrimonio iniuriam infert; Hinc ob factam interces-
sionem, antequam sententia lata, pronunciari solet: Er wird aber
gleichwohl des Landes ewig verwiesen, daraus ihm sein Ehe-Weib mit
wesentlicher Wohnung zu folgen schuldig; v. CARPZ. qu. 55. n. 22.

§. III. Adulter igitur in perpetuum relegatur, ne fouere
nequitiam videatur, qui illi conniuet, et vt scandalum evitetur;
Vxor vero ideo maritum sequi tenetur, ne alias, si tanquam pars
innocens, in terris Electoratus commorari velit, matrimonium
per relegationem perpetuum dissolueretur, in cuius tamen hono-
rem relegatio poenae mortis ordinariae substituitur.

§. IV. Si velis obiicere, iniquum videri, vxorem innocentem
cum marito nocente pati ac emigrari debere, quia delicta sal-
tem suos tenent antores, & factum culibet suum, non vero al-
teri nocere debet; facilis, erit responsio, vxori hoc casu nullam
inferri

inferri iniuriam, quoniam in ipsius liberrimo arbitrio fuit, utrum pro marito adultero intercedere, illique condonare eumque in thorum recipere velit, an non, si enim hoc non fecisset, cogi non potuisset, & maritus poenam adulterii ordinariam subire necesse habuisset, quae tamen ob intercessionem vxoris remissa fuit, ut propterea vnde quaeratur innocens non habeat.

§. V. Quaeritur autem quid sentiendum, si vxor, quae semel intercessit, post sententiam latam, intercessionem reuocare, quam emigrare cum marito malit, an sit audienda? Et videtur, quod non: quia, quod ab initio fuit voluntatis, ex post facto fit necessitatis, v. l. s. C. de O. et A. et quod semel placuit, amplius displicere nequit, cap. 33. de Reg. Iur. in 6. hinc putarem, nullum poenitentiae locum esse dandum, quin potius vxorem simpliciter, ut sequatur maritum, cogendam, cum nemo possit mutare consilium suum in alterius iniuriam, v. l. s. 4. de R. I.

§. VI. Intercessio autem, de qua diximus, in Saxonia tantum in simplici adulterio locum sibi vindicat, non vero duplicato, ob gravitatem delicti, vrpote quod duplum thorum violat, duplexque delictum continet, adeoque dupli etiam poena dignum, per expr. text. P. IV. C. El. 19. §. es soll aber. Extra Saxoniam vero in duplicato quoque adulterio remissio haec siue tacita, siue expressa, attenditur, a. Nou. 134. c. 10. hinc post mariti intercessionem vxori adulterae relegatio saltet dictata fuit a F. I. L. Mens. Nou. 1709. referente MENCK. in Theor. et Pr. Pandect. p. 1543. Id quod etiam in ipso Electoratu procedit, si v.g. maritus cum vxore alterius, ab alia, siue iuene siue marito, prius adulterata, concubabit, quo casu in duplicato adulterio intercessio coniugis non est sine effectu, v. Dec. El. 82. quia vxor coniugata et ab alio stuprata et adulterata, respectu posterioris adulterii, pro soluta habetur persona, cum qua, si maritus consuetudinem habeat, ad intercessionem vxoris poena gladii et remitti et in relegationem converti, certum est, per Conf. El. 19. P. IV. v. MOLLER. L. II. Semestr. 36. PHILIPP, addic. Dec. El. 82. ob. 3. n. 8. seq. ibique praeiud. conf. de BERGER El. Pr. Crim. p. 131. seq.

§. VII. Vtrum vero vxor, quae pro marito intercedit, curatore opus habeat? plus simplici vice controuersum memini; Multi hoc adfirmant, ob praeiudicium, quod exinde sentit vxor, quia ob

ob hanc intercessionem maritum relegatum sequi tenetur, ac in-super mariti malitiosi persuasionibus seducitur facile, vt interce-dat, qui maritus tamen eo ipso non melior sed plerumque peior, post liberationem, efficitur, a quo malo tamen vxor, si non in-tercessisset, libera fuisset, vt propterea eiusmodi intercessio non nisi animo bene deliberato et exhibito curatore fieri posset. Quia vero vxor marito condonans per Dec. El. 82. certioranda et ad-monenda est, si pro adultero intercedere velit, vt itaque inde-fensa non videatur, præterea haec intercessio matrimonii quasi redintegrationem continet, hinc eam etiam a l. 8. C. de nupt. sine curatore recte fieri, pronunciauit F. I. L. Mense Nou. 1699. teste

MENCK. c.l.

§. VIII. Dicto igitur casu, quando ob mulieris intercessio-nem marito ultimum supplicium remittitur, relegatum maritum vxor sequi tenetur omnino, ad quod tacite quasi se obligasse cen-senda, cum alias poena ordinaria mitigari non potuisset; An ve-ro vxor virum, ob aliud delictum, v.g. homicidium, relegatum, aut per se profugum, extra prouinciam, et locum domicili consuetum, sequi teneatur? vna non est doctorum opinio, aliis quippe ad-firmativa, alii negativa arridet; De fundamentis vtriusque sen-tentiae, paucis, in subsequentibus, dicam.

§. IX. Pro aiente sententia adducere solent 1) nihil tam hu-manum esse, quam in fortuitis casibus mulieris maritum, contra vxorem viri participem calamitatum esse, v. l. 22. § 7. ff. solut. matr. 2.) id ipsum ex definitione matrimonii fluere, quod est viri et mulieris coniunctio, indiuiduum vitae consuetudinem continens, quae indiuidua consuetudo per relegationem tolli non debet. 3) prouocant ad praestantisimi affectus coniugalis exempla, vbi ex ardore illius maximi & honestissimi amoris, iudicatum est, *prae-stare morte iungi, quam vita distracti*; v. VALER. MAXIM. Lib. IV. cap. 6. 4.) quia duae duntaxat sunt diuortii causæ, nimirum adulterium et desertio malitiosa, nec enim plures et alias humana autoritate caussas addere licet illis, quae a SALVATORE et diuo PAVLO sunt expressæ, propter exclusiam a CHRISTO notanter adiectam. 5) Quia Indicae mulieres non recusant maritorum rogis sece viuas impondere, teste VALER. Lib. II. memor. c. 6. hinc chri-stiana foemina recusare non deberet maritum sequi in exilium,

6. quia

6) quia nec ipsae leges ciuiles deportatione matrimonium solu-
permittunt, si casus, in quem incidit maritus, non mutet vxo-
ris adfectionem, v. l. 1. C. de repud. l. 24. C. de donat. int. vir. et vxor
l. 13. ff. eod. et maritus relegatus non amittit iura ciuitatis, v. §. 2. I-
quibus mod. ius patr. potest. ibique SCHNEIDEW. l. 14. §. 1. de interd-
et rel. l. 8. §. pen. qui testam. fac. poss. Quare et OVIDIVS Lib. II.
de trist. se non exulem seu deportatum et peregrinum, sed man-
fille ciuem Romanum, quamvis esset relegatus, defendit, his ver-
sibus:

Adde quod Edictum quamvis immite minaxque.

Attamen in poenae nomine lene fuit.

Quippe relegatus, non Exul, dico in illo,

Parcaque fortunae sunt tibi verba mea.

§. X. Hae sunt potissimae, quas affirmantes proferunt ra-
tiones, quibus non tantum multi ex ICtis sed etiam ex Theologis
calculum addunt, existimantes, omni casu vxorem virum sequi
debere, v. ex ICtis, AEGID. BOSS. in Pr. crim. sub. tit. de bonor. publ.
n. 73. IO. PETR. SVRD. de aliment. tit. 7. quae est. 26. n. 7. HARTM.
PISTOR. Obs. 148. n. 3. CARPZ. qu. 130. n. 44. BECK Decis. et Resp.
p. m. 84. ex Theologis, BEZA Lib. de repud. p. 218. seqv. DANAЕ.
Etb. Christ. l. 2. c. 14. HIERON. ZANCH. de matr. tit. de diuort., pag.
745. quam opinionem etiam adprobauit LUTHERUS, in lib. de
caus. matrim. Tom. V. lenens. germ. fol. 257. vbi sequentem in mo-
dum scribit: Wie wenn der Mann oder das Weib gesteupt, oder des
Landes verlossen würde, soll das andre auch mit, oder bleiben und sich
verändern? Antwort: Solchen Unfall sollen sie mit einander tra-
gen, und nicht darum vor einander scheiden. Denn gleichwie sie ein
Leib sind worden, so müssen sie auch gleich ein Leib bleiben, es komme Ehre
oder Schande, Gut oder Armut, quod probat ex cap. 18 Matth. vbi
seruus debitor uxorem et liberos iubetur vendere, ut debito se felici-
beret; In commentario autem cap. IV. Genes. probat id ipsum ex
emplo uxoris Caini, que maritum profugum secuta est, de quo
JOSEPHVS commemorat Lib. I antiquit. Cap. IV. Quod cum uxore
sua multis emensis regiones oppidum Nod considerit. conf. GER-
HARD de coniugio, §. 691. p. m. 1144. seq.

§. XI. E contrario multi negatiuam amplecti malunt sen-
tentiam, 1.) quia is saltem qui deliquit puniri debet, v. l. 22. C.

de poen. si vero vxor praecise maritum relegatum sequi teneatur, sequeretur 2.) quod duo ob unum idemque delictum poenam sentirent, id quod absurdum videretur. 3.) Quoniam tempore contracti matrimonii vxor de eiusmodi infortunio cogitasse non praesumitur, ut propterea ipsi definitio matrimonii opponi nequeat, cum omni, etiam iuratae conventioni insit clausula: *rebus sic stantibus*, v. l. 38. pr. ff. de solut. conf. COCCIVS, dissert. de clausula: *Rebus sic stantibus*. C.VI. §. 7. et 8. Vol. II. 15. p. m. 303 seq. Vrgent 4.) potissimum, quod textus iuris Saxonici, quos §. 1. adlegauit, vno casu tantum vxorem *adulterum* sequi cogant, si scil. ob preces eiusdem gratia criminis marito facta, hic enim vxor sibi ipsi omnia adscribere debet, nec habet unde queratur; His addunt 5.) emigrationem et sequi maritum relegatum, esse odiosum, odiosa autem non sunt amplianda sed restringenda, cap. 15. de R. I. in 6. cui sententiae accedit HEIGIVS P. II. qu. 14. in f. de BERGER, P. I. Resp. XLIII. n. 4. p. m. 64. aliique.

§. XII. Quidam denique media incedunt via, vxorem tantum virum relegatum sequi teneri necessario, si ob adulterium commissum, propter remissionem et simul intercessione mulieris marito gratia fiat; Vbi obiter notamus, quod remissio conditio-nata, v. g. si in Prouincia manere posit, *pro pura*, sive conditio *pro non adiecta* habeatur, v. Praevid. in BERGERI *Oeconomia iuris*, ed. nou. p. 820. not. 11. Si vero ob aliud delictum marito dicetur relegatio, vxor eum sequi praecise non deberet, sed hoc casu videndum, quid res rationesque domesticae, liberorum communium et rei familiaris ferant, vtrum salua honestate vxor inter peregrinos versari possit? habenda enim magis ratio innocentis personae et utilitatis publicae, quia istud faltem posse dicimus, quod honeste et commode possumus. v. HEIGIVS, c. I. n. 22. seq. CARPZ. qu. 130. n. 46.

§. XIII. Quid vero dicendum de marito vagabundo, an hunc vxor sequi teneatur? Distinguunt *D.l.* communiter: *aut* vxor mariti conditionem sciuit tempore contracti matrimonii, *aut* ignoravit; Priori casu sequi tenere maritum, dubitandum non erit, v. RICHTER, Dec. 9. n. 6. posteriori autem negant, quia vxor tempore contracti matrimonii eiusmodi quid de suo marito non praesumit, et propterea consensus eiusdem ad non cogitata exten-

extendi nequit, v. MYLIV s. *dissert. de iure vagabundi*, C. 2. n. 12.
MAVSER, ad Tit. *Inst. de nupt.* p. m. 335. HEIGIVS c. l. n. 130. Quae
distinctio tamen solido niti non videtur fundamento, quia nu-
ptiae sunt contractus, qui autem contrahit cum aliquo vel est,
vel esse non debet ignarus conditionis illius cum quo contra-
hit, v. l. 19. *de R. L.* propterēa vxor, quoniam diligenter non in-
quisivit in futuri mariti conditionem, sibi suaeque facilitati, si
maritum vagabundum sequi cogatur, adscribere necesse habeat,
a l. 203. *de R. I. conf.* COCCIVS *de curiositate legali proficia*, C. I.
Concl. 2. 3. 4. et 5. Vol. II. 95.

§. XIV. Non incongrue ultimo paucis de quaestione affi-
ni videndum, quid scil. sentiendum sit de pacto, quod maritus ali-
quando tempore celebrati matrimonii init, vi cuius se certo loco
cum uxore moraturum promittit, an scil. hoc pacto non obstante
maritus domicilium mutare seque in alium locum conferre pos-
sit, et uxor nihilominus eum sequi teneatur? sunt qui tale pactum
penitus improbant, quia pugnaret cum reuerentia maritali, hinc
que tanquam pactum contra bonos mores, seruandum non esse
putant, v. BEVST. *de matrim.* c. 32. COVARRVVIAS *de sponsal.* P.
II. c. 7. n. 5. seq. TIRAQYELL *de LL. connub. concl. 1. n. 28. seq.* ME-
VIVS *ad lus Lubec.* L. I. tit. 5. art. 10. n. 66. HEIGIVS c. l. n. 7. seq. Alii
vero in eiusmodi pacto nil turpe deprehendunt, cum reueren-
tiae marito debitae hoc ipso nullo modo aliquid decedat, quae
aeque in uno ac in diuersis domicilii locis exhiberi potest; Et
tali pacto libertati faltem transferendi domicilium derogatur,
neutquam vero reuerentiae aquae duo in quaestione proposita
probe separanda veniant, qua propter hoc pactum validum omni-
no existimandum. v. LAVTERB. *in compend. iur. de R. N. in effecti-
bus. conf.* LVDOVICI *dissert. de iure et iurisprudentia domestica*,
C. II. §. 13. p. 28. seq. Sane si maritus in loco nuptiarum vitae sub-
sidia commode habere nequeat, et alibi honesta sese offerat con-
ditio Deo et Reipublicae inferuendi, merito potestas transferen-
di domicilium non erit ademta, v. STRYK ad LAVTERB. tit. *de*
R. N. v. superuenerit. SCHOEPFFER, *in Synopsi iur. priu. de R. N. n.*
106. RICHTER *Dec. 9. n. 5.* omne enim pactum intelligitur *rebus*
sic stantibus, v. l. 38. pr. *de solut. conf.* COCCIVS *dissert. de clau-
sula: rebus sic stantibus.* Vol. II. 15. Plura adducere et temporis
et

et instituti ratio non patitur, restat enim, ut *Generosis ac Nobilissimis* Dominis Commilitonibus collegia, quae per instantis semestre hybernum habiturus sum, paucis indicem, quae sunt sequentia:

- I. COLLEGIVM in Ludouici Doctrinam PANDECTARVM, in quo huc usque priores XII. Libb. absoluimus, singulis diebus continuabo. *Hora VIII - IX.*
- II. ELABORATORIO - PRACTICVM, in quo scripta, quae ad Processum *Ordinarium, Summarium, Executivum* etc. spectant ab ipsis membris elaborantur, et sic ad futuram praxin fideliter praeparantur, diebus C. ♂. 24. et ♀ inchoabo. *Hora IX - X.*
- III. INSTITUTIONALE, in ipsum Institutionum Imperialium textum, exordiar. *Hora X - XI.*
- IV. IVS CANONICVM ex SCHILTERI Institutionibus recensabo, diebus C. ♂. 24. et ♀ *Hora II - III.*
- V. IVS SAXONICVM occasione Constitutionum D. AVGVSTI ita tradam, ut ubique ea, quae vel sunt mutata, correcta, abrogata &c. vel etiam de novo sancta, diligenter ostendam, quo Auditores de iure patrio, debitam (*a multis male neglectam*) notitiam sibi acquirevere valeant. *Hora III - IV.*
- VI. PRAEPARATORIO - Practicum, iuxta delineationem Processus Ordinarii, a me editam, praelegam, diebus g. et h. *Hora IX - X.*
- VII. EXERCITIO DISPVTATORIO, die ♀ et REPETITIONI consuetae, die h, *Hora XI - XII.* destinata erit.

Initium, finitis instantibus nundinis solennioribus, die XIX. Octobris faciam, auxilianteque *Numine Diuino*, singula recensita collegia semestri hoc hyberno, absoluam. Quicunque e *Generosis ac Nobilissimis* Dnn. Commilitonibus quoad methodum plura scire cupiunt, illos, ut pendentibus nundinis tecum conferant, humanissime inuitio. Dabam Lipsiae, e Musaeo, ipso Angelorum festo. A.R.S. cii 10CC XXXIV.


Leipzig, Diss; 1734

f

5b,



VD 18



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-790446-p0012-4

DFG

B.I.G.

Black

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



NVS VXOR

I RELEGATVM

TENEATVR?

SQVIRIT

E T

S AC NOBILISSIMIS

CVLTORIBVS

LEGIA SVA

HYEMALE HABENDA

NDIGIT

M KAESTNER

CTOR ET PRACTICVS.

IPSIAE,

GABRIELIS TROGIL.

1734,6. 45.